

20166

DE VALORIS NATURA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI

AD GRADUM


DOCTORIS PHILOSOPHIAE

LEGITIME OBTINENDUM CONSCRIPSIT ET LOCO CONSUETO

PUBLICICE DEFENDET

JOH. JAC. GORLOFF

RIASANENSIS.



DORPATI LIVONORUM MDCCCXXXVIII.

TYPIS HERRERDUM LINDFORSIANORUM.

De valoris natura.

I.

Inter quaestiones, quas sibi solvendas oeconomia politica proponit, illa quae est de valore sine dubio vel in maximis habenda: quo cognito cognoscitur etiam natura divitiarum, quae ejusmodi est, ut si eam negligas nequaquam tibi explices rationem divitiarum vel augendarum vel minuendarum, nequaquam certa quaedam statuas de productione, vel de consumptione vel de distributione. Quae postrema cum totius oeconomiae politicae maxima momenta sint, eorum autem omne argumentum valore bene perspecto atque intellecto nitatur, jure valoris notionem cardinem totius scientiae oeconomicae vocaverim. Optime hoc senserunt docti viri, qui inprimis posterioribus temporibus valori definiendo praecipuam curam navarunt, et quae ejus notio sit in oeconomia politica singularibus scriptis illustrare conati sunt: documenta sint opera viri doctis-

IMPRIMATUR

ea conditione, ut simulac typis fuerit excusa quinque exemplaria collegio libris explorandis constituto tradantur.

Prof. Dr. F. C. H. Kruse
h. t. Decanus Fac. Phil.

Dorpati Livonorum
mens. Maji d. XVI. a. MDCCCXXXVIII.

82/597

simi Agazzini Itali: *Sconvenevolezza delle teoriche del valore*, 1834, p. 451, et anglico sermone — *A critical dissertation on the nature, measure and causes of value*. Lond. 1823. Celeberrimi oeconomiae politicae in Europa professores magnam curam adhibebant de valoris vera notione describenda, idque apparet ex lectionibus eorum in publicum emissis, ex quibus satis est memorasse *Ravii* Lehrbuch der politischen Oeconomie, Hdlb. 1837; *Rossii* Prolégomènes d'économie politique*); *Seniori* lectiones, quas comes *Arrivabene* in publicum emisit**).

Nostra disquisitio initium capiet a sententia *Ad. Smithii* exponenda, qui cum parens sit totius scientiae oeconomicae, hujus rei tamen nonnisi vestigia quasi fortuito illata fixit. Vocabulum valoris celeberrimus ille Adamus ait, duabus significationibus accipi posse: esse enim vel utilitatem rerum, vel hanc earum facultatem, qua aliae comparari possint: alterum *valorem utilitate*, alterum *permutatione* exhibitum vocari posse. Saepe enim res, quae in permutatione vel maximi valoris sunt, in utilitate prorsus omni valore destitutae esse possunt.

*) Revue mensuelle d'économie politique. Par Th. Fix 1834.

***) *Senior* Principes fondamentaux de l'économie politique, tirés de leçons éditées et inédites de l'auteur, par *J. Arrivabene*. Paris 1836, 2 vol. in 8.

Ut, quum nihil sit aqua utilius, vix fieri potest, ut hanc permutando aliam rem tibi compares. At contra nihil est, quod minoris valoris, quantum ad utilitatem, sit adamante; quo tamen permutando plurimas res acquiri posse, omnibus liquet*). Quamvis autem *Ad. Smithius* duas notiones vocabulo valoris contineri voluisset, easque utilitate et pretio mensus esset, non tamen quamquam rationem haberent cum divitiis, distincte explicaverat. Ita quidem exorditur *L. I. Cap. IV. Disquisitionum de divitiis populorum*: „Hominem esse divitem aut pauperem prout magis minusve necessitatibus commodisque vitae humanae fruatur.“ Tum paucis versibus post: „Divitias, Hobbes ait, esse vim quandam... Vis haec, quam divitiae homini inprimis tribuunt, est vis emendi, quaedam potestas, quam homo in res vendendas habet... Divitiae sicut major minorve vis haec est, ipsae majores minoresve sunt. Cujuscunque rei valor permutatione exhibitus metiendus est ratione, qua vis haec homini ab illo impertitur.“

Brevi post Comes *Lauderdale*, acutissimus sagacissimusque adversarius *Ad. Smithii*, cum principia doctrinae oeconomicae, ab illo constitutae, refutaret, protulit quasdam de valore sententias, quas demum scriptores recentioris temporis accu-

**) *The wealth of nations*. L. I. Cap. IV.

ratus explicuerunt. Nam cum omnem doctrinam Smithii funditus evertere conabatur, id agebat, ut inprimis principia ejus infestaret, quibus quae sint divitiae, quaque ratione augeri possint, ostendebat. Itaque inprimis illud, quod Ad. Smithius docuerat, divitias publicas privatasque esse unas eademque, ita oppugnabat, ut has notiones diversissimas esse probaret. Qua in re ejus sententias tam graves tamque sagaces putamus, ut temperare nobis non possimus, quin summam earum duce hoc opere: „*An inquiry into the nature and origin of public wealth.* Edinb. 1804, proponamus.

Privatas divitias, ait *Lauderdale* *) esse omnia, quorum sit pretium aliquod; quo efficitur, ut divitiae ei vocentur res non solum utiles et jucundae, sed etiam raras. Itaque nequaquam divitem censendum esse eum, qui habeat multum aëris, aquae et ceteras res, quae cujuscunque ditionis sint. Eundem autem, si habeat adamantem, aurum aliaque pariter pretiosa et rara, jure divitem haberi. Omnino quanto rariores res sint, tanto ditiores earum possessores. Esse itaque statuendum, divitias privatas raris rebus contineri. In quo tamen cavendum esse, ne quem populum divitem reddi non posse, nisi rebus redditis rarioribus, arbitremur **).

*) *An inquiry into the nature etc.* Cap. II.

**) *Ibid.* p. 45

Scilicet, si affluat populus re, qua ad alendum utimur, tanta copia, quanta aqua nobis est, putet aliquis, eam rariorem reddendam esse, ut populus opulentior existat. Quod si fieret, divitiae publicae minuerentur, privatae autem, quae venditorum sunt, augerentur.

Lauderdale autem cum inquireret, quid intersit inter divitias publicas et privatas, non acquievit in his argumentis, sed ad valorem accuratius definiendum ita fere in sua disquisitione progreditur. Valorem, ait, mutari posse, prout vel *augeatur*, vel *minuatur*, *mercium copia*, deinde prout magis minusve cogatur necessitate qui *proponant* aliquid vendendum, aut *poscant* emendum.

Primum igitur dijudicemus, quamnam vim exerceat incrementum vel diminutio mercium in *privatas divitias*, valorem dico, vel in *divitias publicas*? In divitiis privatis vis illa haec est, ut pretium minuatur copia, paucitate augeatur; in pretio autem augendo vel diminuendo non eadem conditio est, quae in mercibus diminuendis vel augendis. Ut, si sacchari 1000 lb. centum familiis emerentur *), subito autem copia ejus ita minueretur, ut pro millibus quingentae tantum librae venumdarentur, nunc pro 10 libris, quibus antea opus habebat, quinque lib. eodem pretio emtis una-

*) *Lauderdale* *Ibid.* pag. 99.

quaeque familia contenta esse deberet. Sed ex his centum familiis quaedam erunt, quae tantam necessitatem sacchari easque facultates habeant, ut nequaquam modum ejus consumendi minuere velint, nec ab eodem, cujuscunque pretii saccharum sit, numero desistant, quo prius utebantur. En id quod in causa est, cur pretium sacchari bis dimi- nuti, ter, quater et magis etiam augeatur. Ex quo nobis perspicua est causa illius notissimae formulae a *Kingio* traditae *), ex qua pro varia frumenti desiderati vel propositi ratione, pretii variae ra- tiones profluunt. In qua verumne sit, quod *Kingius* de conditionibus variae copiae et huius re- spondentis varii pretii docuit, id nunc plane in me- dio relinquimus; quod autem praecipit, pretium frumenti aut minui aut augeri non eodem modo, quo aut minuatnr aut augeatur copia, id quum verum sit, dignum visum est, cujus mentionem fa- ciamus. Sponte autem apparet, pro varietate mercium varie etiam augeri posse pretium. Ut frumentum, quae vel maxime necessaria merx est, si minuatnr, postulatione non mutata, necesse est pretium valde augeatur. Si autem merx imminuta ad delicias pertinet, necesse non est, ut ea defici- ente, idem modus, qui fortasse antea fuit, postu- letur, unde fit, ut pretium etiam non multo majus

*) *Davenant*, Political and commercial works. Lond. 1771, Vol. II. p. 244.

evadat. — Quid autem valeat modus deficiens mer- cium *in divitiis publicis*, id simplex evidentissi- mumque est, in vulgus enim notum est, publicas divitias minui proinde ac merces deficient. Ratio autem, qua augentur merces, omnino contraria se- cum trahit iis, quae rationem, qua minuuntur, se- quuntur.

Securum. Nihil jam necesse est quaerere, quid fiat, si eadem copia mercium manente, eadem rationes, quibus poscuntur vel proponuntur, mane- ant; apparet enim pretium et divitias eadem ma- nere. Multo autem magis quaerendum est, quid fiat, si copia quidem mercium manente, ratio, qua poscuntur vel proponuntur, mutetur. At ne hic quidem novi aliquid offendimus; nam jam antea vidimus (No. I.), quid sequatur ita mutatum modum postularum aut propositarum mercium: quid nisi mutatum in majus vel minus pretium. Hanc igitur esse vim, *Lauderdale* colligit, quam exerceant ra- tiones modo explicatae in *divitias privatas*. *Publi- cae* vero *divitiae* eadem copia rerum manente, persistunt, licet reliquae conditiones mutantur.

Haec ut brevissime complectamur: Fieri potest ut 1) propter eadem causas divitiae publicae mi- nuantur, privatae augeantur, 2) privatis mutatis, divitiae publicae eadem maneant.

Haec si cum superioribus comparamus, elucet, secundum *Ad. Smithium* esse valorem *in permuta-*

tione et in usu; secundum Lauderdale divitias privatas discernendas esse a publicis, quae ita ab eo definiuntur: „wealth may be accurately defined to consist of all that man desires as useful or delightful to him“ *); illae autem ita: „individual riches may be defined to consist of all that man desires as useful or delightful to him; which exists in a degree of scarcity“; ob hanc raritatem etiam pretium res habere. Itaque utrique commune esse videtur, res vel utilitatem vel pretium habere posse, sed *Lauderdale* longius progressus in sua disquisitione addidit, res utilitatis divitias publicas, res autem pretii privatas esse. Non est tamen praetermittendum, jam Smithium docuisse, ut supra demonstravimus, quamnam rationem haberet valor ad divitias publicas, non explicuisse tamen diligenter quid de hac re sibi voluerit.

Scriptores, qui eos exceperunt, quanti momenti in valore definiendo certa principia essent, quibus totius politicae oeconomicae moles niteretur, senserunt. Inprimis autem J. B. Sayus doctrina sua principium illud valoris id esse docuit, quod fundamento ei inserviret. Quo facto necesse erat, ut silentio rupto docti viri id vel acciperent vel, quod profecto evenit, refellerent. Nam doctrina J. B. Sayi à multis adversariis hostiliter excepta, ansam contro-

*) *Lauderdale*. Ibid. p. 56.

versae praebuit. Cujus autem hic exitus fuit, ut, quum vir hic nimis suis erroribus haerens, multiples suae doctrinae explicationes tentaret, quaestio difficilior atque intricatior evaserit. Nam quum utraque pars veritatem sibi vindicaret, ipsa in his ambagibus diversarum disquisitionum demersa, summis difficultatibus premi videtur. Quas pro virili, historia duce, conabimur amovere, speramusque fore, ut contingat nobis, ut quaestionem certe aliqua ex parte paulo expeditiorem reddamus.

Ad Smithium, ut jam demonstravimus, pretio et utilitate rerum constitutis, non longius processit, ut videretur iis, qui eum exceperunt, liberum reliquisse arbitrium, pretiumne divitias an utilitatem vocarent. Non ita ambigui sunt *Lauderdale* vel *Sayus*, qui ad diversissima inter se delati sunt, quoniam alter utilitatem, alter valorem divitias esse arbitratur. Ex quibus hic quid censeret, exposuit in operibus, quae hujus scientiae peritis notissima sunt *). Summam ejus doctrinae ita complectimur.

Ducibus physiocratis **), a natura ipsa hominis investigata exorsus, J. B. Sayus quid omnino divitiae, deinde quid ad oeconomiam pol. relatae sint, demonstravit. Homines, ait, habere plurimas variasque

*) V. *Traité d'éc. pol.* 3 vol. — *Cours Complet d'écon. politique* 6 vol. 8. — *Catéch. d'éc. pol.* 1. vol.

**) *Physiocratie* par Dupont de Nemours, 1768.

necessitates, quae omnes ex physica vel morali eorum indole oriuntur. Quae satisfaciant his necessitatibus divitias nos appellare. Divitias autem esse varias, tum quae nobis a natura tributae sint, ut aër, lux. Hae *naturales* *) divitiae vocantur, quae quamvis gravissimi momenti, non ejusmodi tamen sunt, ut ad oeconomiam politicam spectent; non enim augeri possunt, nec consumi, et ob eam ipsam causam non obnoxiae sunt legibus ab oeconomia politica constitutis. Aliud genus divitiarum *civiles divitiae* vocari solere, quae quia minores vel majores reddi possint, valoris naturam constituere. Quidam scriptores putaverunt *), divitias res esse utiles vel jucundas, cui definitioni non

*) *Cours compl. d'éc. pol.* I. Part. I. Div. Ch. I—III.

**) *Smith*, l. I. *Lauderdale* l. I. *Malthus* in *Definitions in pol. econ.* 1827 p. 234 Wealth: the material objects necessary, useful or agreeable to man, which have required some portion of human exertion to appropriate or produce. — *Ricardo's Princ. of pol. economy*, 1817 Ch. XVIII. — *Mac Culloch's Princ.* 1830, p. 5. Political economy has been sometimes termed the science which treats of the production, distribution and consumption of wealth, and if by wealth be meant those useful or agreeable articles or products, which possess exchangeable value, the definition would seem to be unexceptionable. If however, the term wealth be understood in either a more enlarged or contracted sense, it will be faulty. — *Rau* im *Lehrbuch der polit. Oekonomie* 3. Ausg. 1837. Das Volksvermögen begreift sämtliche in der Gewalt der Staatsbürger befindliche sachlichen Güter.

obstat quidem Sayus, hoc autem differt, quod, ut accuratius in definiendo ageret, notiones, quae aliis diversae visae erant, divitiarum et valoris, jungere conatus est: quod qui negligat, ait, admodum ambiguum et incertum esse, quid sint divitiae; valoris autem ratione habita posse nos res inter se comparare, aequationem invenire, judicare num paria sint inter se ex. gr. culeus frumenti et panni serici mensura quaedam; utrumque enim potest referri ad quendam numerum pecuniae. Quo constituto possumus in omnibus comparationibus fundamentum quoddam habere, quo definiatur quantopere aliquid vel augeatur vel minuatur; quod ipsum propositum est totius scientiae. Nam nisi id cognovissemus, non haberemus oeconomiam politicam; certe haec doctrina nequaquam emersisset ex infinitis subtilibusque argumentationibus et nugis *).

Valor non aliter divitias constituere potest, nisi *probatum* non solum a possessore rei, sed etiam ab universis. Iudicium autem veri valoris

*) *Lettres à Malthus sur différens sujets d'éc. pol.* Paris 1820, 5ième Lettre. — *Cours Compl.* Brux. 1836, p. 601, La valeur échangeable des choses me semble offrir une quantité appréciable, qui est un fait. Or les quantités de ce genre sont la seule base solide de toute doctrine scientifique. Dans toutes les recherches économiques il faut, je crois, commencer par affermir cette base; car enfin, pour savoir ce qui fait grandir ou diminuer nos biens il faut savoir auparavant ce qui les constitue grands ou petits.

et ab universis probati tum perspicitur, quum ceteri aliquam rem suis mutare non gravantur. Si domus mea nonnisi 30000 fr. nummum aestimatur, indicio est, eam nihil ultra valere, et cum alia domo, 60000 aestimata, in comparationem ductam, ejus tantum dimidium valoris aequare, quanticumque eam ipse aestimem.

Fundamentum, pergit, valoris *utilitatem* esse. Non esse tamen hoc ita dictum, quasi divitias perinde atque utilitatem augeri, opinemur; non enim eam hoc loco utilitatem dici, quae a natura data perpetuo sibi constet, sed quae hominum industria efficiatur *).

Quae sententiae multos scriptores offenderunt, eosque haud indoctos. Jam. a. 1816 exstitit *Du-pont de Nemours*, physioeraticae doctrinae assecla, qui ipse celeberrimus scriptor, litteris ex America ad J. B. Sayum datis, persuadere ei conatur, indicium ab eo constitutum divitiarum, cum mancum, tum vero etiam falsum esse. Si enim, inquit, omnia quae pretio solvuntur, divitias constituunt, vitiorum mercedes etiam inter divitias habendae sunt. Haud recte vero arguunt, qui Sayi doctrinam principio morali repugnare contendunt. Sayus enim ipse dicit, divitias esse valorem pro-

batum opinione civium: opinionem publicam vero nunquam vitiorum mercedes quasi valorem probare. Totam societatem ebriosis aut libidinis constantem adhuc non cognovimus; certe si sit, fieri non potest, quin citissime deleatur. Porro recordari debemus, scientias suum quamque ad tractandum propositum habere argumentum. Praecepta, quibus moralem felicitatem adipisci possumus philosophia morali, quibus autem commoda acquiramus oeconomia politica traduntur. Utraque scientia nulla ratione alterius habita, suum propositum arguet. Quum autem anima sit aliquid majus corpore, felicitasque moralis corporis voluptati praestet, apparet, sanctitatem morum majorem commodis habendam, omniaque praecepta oeconomiae politicae praeceptis honestatis esse postponenda. Oeconomia igitur politica, quum praecipiat, res quae propter utilitatem valorem habeant, divitias esse, eas intelligit, quae praeceptis honestatis non repugnent; tam pauca vero sunt, quae per se honestati repugnent (vinum enim, opium etc. quatenus iis temperanter utuntur, non contraria sunt honestati; intemperantia autem non solum in his, sed etiam in aliis vel maxime innocentibus rebus, semper contraria est honestati), ut tanquam exigua in oeconomia politica negligantur, nec quidquam contra principium valoris possint.

*) Cours Compl. p. 12 et sqq.

Quae autem J. B. Sayus contra refutationem argumenta attulit, negari non potest, esse admodum infirma. In litteris enim, ad *Dupont de Nemours* datis *) divitias, ait, quae nobis naturae liberalitas largitur, ut valetudinem prosperam, amorem uxoris etc. naturales vocari, quippe quae non sint a nobis remunerandae . . . quas autem expetimus ab aliis hominibus, qui nobis nec tempus nec res suas imperticndi officio obstricti sunt, hae compensandae sunt quibusdam rebus, permutationis ergo datis. Ita Sayus. Quae omnia argumento sunt, illum mercetricum mercedes divitias publicas vocare velle, easque valore privari nolle. At non huc res ferebat; non enim quae pretii causa esset, quaerendum erat, sed refutandum quod contra eum attulerat, principium valoris esse contrarium honestati.

Non multo post sagacissimus Ricardo et frater ipsius Sayi Lud. Sayus aliam viam hanc doctrinam oppugnandi inierunt. J. B. Sayus et Ricardo communicaverunt secum litteras inde ab a. 1815 usque ad a. 1822, quas demum gener Baptistae Car. Comtes in libro inscripto „*Mélanges et correspondance d'éc. pol.*“ 1835 publici juris fecit. Quibus litteris et praeterea singulari opere de oeconomia politica **) Ricardo demonstrare conatur,

*) *Mélanges et correspondance d'éc. pol.*

**) *Princ. of pol. economy and taxation. Ch. XI.*

divitias esse aliud atque valorem. Idem sentit Lud. Sayus. *)

Exordiamur a L. Sayo, qui ita ratiocinatur: Fac accidisse, ut merx quaedam ex. gr. pecus diminuta esset; ergo minuentur etiam divitiae publicae. At pretium tamen ejus mercis non minuetur, immo vero merce rariore facta majus fieri solet. Quibus rejiciendis J. B. Sayus in *tractatu de oeconomia politica* ita scripsit: Ponamus, peste exorta genus quoddam pecoris, ex. gr. ovium minui. Quid deinde fiet? Pretium pecoris augebitur, quoniam vero quo carior merx est, eo minus postulatur, pretii incrementum non par erit pecoris diminutioni. Itaque si esset ovium quinquies minus, tum singularum quarumque pretium duplex fortasse esset; id est ex quinque ovibus quae cunctae, unaquaque viginti nummis aestimata, centum fr. nummos valebant, una quadraginta iisdem nummis emeretur. Quamvis igitur auctum sit pretium, divitias diminutas esse ea conditione qua 100: 40 refertur. Sed contra *Lud. Sayus* jure observat, numero ovium quinquies diminuto, divitias etiam quinquies minui, id est hac conditione, qua 100: 20 refertur. His licet nobis addere, quod cum experientia per-

*) *Principales causes de la richesse des peuples et des particuliers 1827. Considérations sur l'industrie et la législation 1822.*

ceptum, tum etiam ratione (theoria) comprobatum est *) pretium saepe multo majus fieri quam id poscat modus, quo merx minuta est; ex. gr. necessaria quadam ad victum re diminuta, pretium ejus majus fieri potest quater, quinquies, vel magis etiam pro rerum ratione. His ductus est *Kingius* ad tabulam, quae sequitur, pretii argenti pro diminutione mercium exhibitam.

Frumentum si minuat	Pretium ejus augetur:
$\frac{1}{10}$	0,3
$\frac{2}{10}$	0,8
$\frac{3}{10}$	1,6
$\frac{4}{10}$	2,8
$\frac{5}{10}$	4,5 **)

Qua formula ad principia J. B. Sayi adhibita, opinetur aliquis, frumento in civitate dimidio diminuto, pretio autem ejus, secundum hanc formulam quater et dimidio majore facto, divitias etiam quater et dimidio auctas esse, quod ineptum.

Ricardo in opere *Principles of political economy and taxation*, Ch. XX, rationem, qua doctrinam Sayi refutaret, ita inierat, ut diceret: Esto certus quidam numerus opificum, qui certa quadam

*) v. explicationem doctrinae *Lauderdalii*, huic dissertationi insertam.

**) *Davenant*, l. c. *Tooke on high and low prices*, III, 90.

pecunia impensa efficiat 1000 paria calceorum; tum machinis quibusdam inventis, idem numerus hominum efficiat mille paria calceorum, praeterea quingentos petasos. Quo facto pretium mille parium calceorum et quingentorum petasorum aequale esset pretio mille parium, quae machinis nondum inventis ab eodem numero hominum fabricabantur; quippe utrumque ex eadem quantitate laboris proveniat. Nihilominus valor mercium omnino minuetur; nam etiamsi pretium rerum, machinis confectarum, par esset pretio minoris numeri ante machinas has fabricatarum, non esset praetermittendum, quid eveniat de mercibus, ante machinarum inventionem effectis, nec jam venditis. Atqui patet, pretium mercium harum minutum iri, par enim debet esse pretio mercium, machinis confectarum; idque eo ducit, ut civitas, quamvis numero mercium aucto, majoribusque divitiis factis, minus valoris complectatur. Quo fabricatio rerum facilius fit, eo vilius pretium rerum antea confectarum, quamquam divitiae, meliore via fabricandi patefacta, augentur.

Quod *Lud. Sayus* exemplo fortuitarum quarundam mutationum pretii allato docuit, principia *J. B. Sayi* non quadrare in doctrinam oeconomiae politicae, id *Ricardo* probat exemplo ex progressibus artium mechanicarum hausto. Quae exempla

quum sola sint, quae afferri possunt, quoniam mutationes praeter necessarias et fortuitas nullae sunt, minime sunt casu quodam arrepta, sed necessarie in oeconomia civili occurrunt, quae conditioni omnis valoris inserviant. Quodsi doctrina J. B. Sayne naturales quidem et necessarias causas nobis explicat, statuendum erit, ea ne quotidianas quidem res nobis enucleari posse.

Ex animadversionibus *) additis ad Francogallicam versionem operis *Ricardonis* comperimus, J. B. Sayum descriuisse jam illam crassam et falsam rationem doctrinam suam tuendi. Hoc quidem argumento esse potest, ei non omnino planum fuisse, quid esset valor, nec antea, quam confutari coeptus sit, exquisitiorem et accuratiorem rationem iniisse. Quomodo autem melius demonstrare studuerit, paucis expediam.

Universam naturam, ait, caput (*capital*) ab hominibus comparatum, facultatesque, quibus ad industriam utantur, posse fundum (*fonds*) vocari, unde proveniant omnes res utiles, omnes publicae et privatae divitiae. Cujus fundi eas partes, quas sponte nobis natura largiatur, ut solem, quae lucem et calorem effundat, tam necessarias universo ge-

*) V. *Principes de l'économie politique & de l'impôt*, trad. par *Constancio*, avec des notes explicatives et critiques par *J. B. Say*. Brux. 1835. p. 201 — 214.

neri animantium, fundos productivos (*fonds productifs*), omnibus communes, infinito valore ob infinitam utilitatem praeditos, habendas esse. Alia autem capita non esse omnibus communia; eorum valorem pendere ab utilitate quam praebeant. Quam ob causam, fundi quos dicunt *fonds territorial, capital et industriel*, ex quibus 50 mensuras percipere solebamus, 500 mensuris ob quasdam perfectiones eodem temporis spatio perceptis, decies tantum valebunt. Hic gravis momenti est novisse, quis illis perfectionibus utatur. Nam valore mensurae eodem manente, nulla ratione habitae eorum quae sequuntur auctam copiam frumenti, necesse est, majores divitiae, inde perceptae, iis contingant, qui in his fabricandis operam suam consumserant, quique nunc 500 pro 50 vendunt. Sed valore mercium, id quod saepius accidit, minore facto, inde perceptus redditus in consumtores redundabit, et referetur ut 500: 50; consumtores enim minus solvendo tanto ditiores evadent, quanto supra ii qui has res fecerunt, pluris vendendo. Ubi autem observandum, non universum redditum consumtoris, sed eam partem, quam frumento emendo insumebat, re vera decies majorem factum iri, quippe qua nunc decies plus emi possit. Quod idem est ac si pretium frumenti idem maneret, valor autem partis, quam emendo insumebat, decies

major fieret, quasi quisque nunc pro 50 fr. nummorum 500 eosdem nummos haberet, vel *quasi valor permutationis decies augetur*. His expositis hacc nobis probantur 1) majore facta utilitate, pretium aut manet idem, aut minuitur, 2) Priore in casu quanto major est utilitas, tanto valor est major, 3) postremus casus idem efficit, ac si valor permutationis augeatur. Itaque *valor permutationis in utroque casu augetur*. Quae disquisitio potest etiam adhiberi ad exemplum pestis exortae, qua pretium majus fit, id est quasi redditus cujusque minuatur, ut quisque minorem valorem possidere videatur, unde, eodem pretio manente, percipiat minorem copiam fructuum (*produits*). — Quae comparatio id efficit, ut consumtores, diminuto pretio rerum confectarum, eadem conditione esse ducantur, in qua essent, si major factus esset valor reddituum, et vice versâ. Id autem inter utramque rationem interest, quod valor reddituum, divitiis una cum pretio diminuto auctis, par sibi manet; divitiis autem una cum valoris summa aucta amplificatis, ipse valor reddituum augebitur. Itaque iterum venimus ad id, quod prius positum est, divitiis valore non mutato augeri posse: quod ipsum refellere J. B. Sayus debebat, cum probare vellet, divitiis auctis permutationis etiam augeri valorem.

In opere *Cours Complet d'éc. politique* III Part. I Div. Chap. V videmus J. B. Sayum rur-

sus conari doctrinam suam cum ratione diminuti pretii et auctarum divitiarum reconciliare. Ubi jam id molitus est, ut demonstraret, rerum confectarum (*produits*) pretio diminuto, non quasi, sed re vera augeri valorem. Nam laudato titulo, qui potest populus, inquit, pretio vilior factus, ditior esse, cum divitiae rebus valore praeditis consentent? Deinde pergit: rerum confectarum valore diminuto, ratio qua civitas rem suam, ut ita dicam, familiarem gerit, non mutabitur. Nam privatis quibusdam pauperioribus factis, alii ditiores evadent; hic igitur nec auctio divitiarum ulla reperitur, nec remedia quaequam nova apparent ad populum sustentandum. Populus rei suae familiari consuetis iis productis, quae primitivo pretio acquirit: quam ob rem hunc casum a nostra disputatione remove mus. Primitivum pretium oritur ex meritis productivis (*services productifs*), quorum sedes positae sunt in fundis. Fundorum autem tanto major est valor, quanto plura inde percipiuntur, vel quanto ea vilioris pretii fiunt. In quo utrum ratio directa, qua res acquirimus, ipsi efficientes, an indirecta — ope permutationis, adhibeatur, prorsus nihil refert. Nam si res efficimus nosmet ipsi, plus productorum percipiendo, majorem officiorum remunerationem obtinentes, multo commodiorem permutationem cum natura instituimus, nam auxilium ei in producendo ferentes, quasi officio functi sumus, illa,

nobis producta reddendo, quasi acceptum debitum solvit. Tum si res permutatione nobis comparamus, eadem productiva officia praestantes, plus productorum referendo eandem commodiorem permutationem facimus.

Dolendum est, quod haec argumenta apud adversarios *J. B. Sayi* et apud posteriores scriptores non nacta sunt idoneas confutationes; nam ex omnibus solum invenimus *Ravium*, qui hanc rem in adnotatiuncula quadam obiter tangit his verbis: „Die ganze Schwierigkeit fällt nach obiger Darstellung hinweg, denn es ist klar, daß ein wohlfeileres Gut für die Volkswirtschaft nicht im mindesten an seinem Werthe verloren hat.“ Equidem fateor, argumenta haec *J. B. Sayi* primo obtutu sagacia quidem visa, accuratius autem pervestiganti prorsus falsa agnoscī; sunt enim nil nisi sophisma aliquod, ex confusione vocabulorum valoris et pretii, eorumque ambigua significatione arbitrarie compactum atque conflatum. Ait enim *Sayus*, productionem permutationem esse, cum natura confectam, eamque eo commodiorem, valoremque permutatione exhibitum et in productivis officiis positum eo majorem esse, quo natura ipsa plus nobis referat; ergo si naturae sementem quingentis rubl. aestimandam committas, deinde sterilitate facta, ab ea exiguam partem productorum percipias, quae ob hanc causam magna pecunia aestimanda est.

ceusebère optimam permutationem fecisse? Ain? Nounne enim pretium (valor) auctum est? — *Sayus* ipse aliquot versibus post dicit et demonstrat abundantiam (quae idem valet ac si divitias dixisset) et vile pretium eadem esse. „Abondance et bas prix, inquit, ne sont pas deux faits qui se suivent: c'est un seul et même fait, exprimé par deux mots différens.“

En hic operae pretium est cognoscere exempla errorum, quae nobis historia scientiarum omnino, imprimis autem philosophiae et politicae oeconomicae tradit, quibus discat qui velit, quantum ingenium humanum ambagibus subtilitatis demersum, occaecari possit. Nemo potest refellere veritatem, in commemoratis exemplis, valore diminuto divitias augeri; en existit vir, vel optime de scientia meritus, cujus nomen latissime per Europam cognitum est, qui id sibi agendum censet, ut neget diminutionem illam valoris et demonstret, eum non posse nisi augeri, quod vocabula torquendo, acumineque ingenii sui male usurpando tandem se assecutum esse gaudet. Quo tandem spectant omnes hae subtilitates, nisi ut per ambages difficiliorem nobis viam muniamus ad simplicissimas veritates assequendas? Ne tamen quis judicet vanum esse laborem tot tantisque opinionibus exponendis, pensitandis, aliis vanitatis insimulandis, tempus terere. Deterreri non debemus. quominus in incepto per-

severemus; Illis enim perquisitis, si parum veritatis adepti erimus, tamen propius eam accedemus, ducti opinionibus summorum virorum, quas examini subjecerimus.

Eodem tempore *J. B. Sayus*, cum quasi sentiret ipse, quam infirma esset ejus argumentatio, in aliis subtilitatibus auxilium, quo doctrinam suam fulciret, quaerebat. In annotationibus enim, ad junctis operi *Principes d'éc. pol. par Ricardo*, in *Traité d'éc. pol. T. I. Ch. XXVIII*, in *Cours compl. d'éc. pol. Part. I. I. Div. Ch. II.*, ait, divitias nil esse nisi rerum, quas possidemus, valorem obtinentem (*valeur courant*) quem valorem his qualitatibus praeditum dicit: 1) *mutabilitate* (*propriété d'être variable*). Descriptionem enim rerum (*inventaire*) non nisi temporis et loci respectu habito, divitias certas indicare posse. Accidit enim, ut sequenti mense pretium mutetur, quo facto mutanda etiam est descriptio. Deinde pretia possunt esse omnino diversa in alia urbe, in quam si migremus necesse est, divitiae etiam diversum valorem habeant. 2) *relativitate*. Fac illud inventarium omnium rerum eo descriptarum valorem 100,000 fr. num. complecti, id aequat valorem 20,000 écus, 5 fr. nummis in singulum quodque écu numeratis.

Verum enimvero *J. B. Sayus* non sensit, hac restrictione doctrinae suae omnem controversiam de valore necessario deleri: nam valoris ipsa mutabi-

litas, (in qua quidem omnia contra auctorem hunc prolata nituntur) flagitat, ut duo spatia temporis inter se comparentur. Videamus, possitne hac restrictione admissa doctrina *Sayi* probari.

Uno tantum spatio temporis posito, fingamus divitias ejusdam civitatis computatione instituta valere summam *n*. Quid inde colligemus de divitiis populi, quomodo earum veram significationem inveniemus? Hae divitiae pares esse possunt *n* propterea, quod in ea civitate reperiuntur speciosae aedes, splendidi currus, raras et pretiosas vestes stragulae, quamvis cetera omnia speciem inopiae miserandae prae se ferant. Possunt etiam eae divitiae pares esse *n*, quod non magnificis quidem aedibus, sed nitidis domibus, iisque commodis tantum vitae exornatis, constant, quod validae, quamquam non exquisitae stirpis pecore, quod simplici ac munda, at firma ea et idonea suppellectili constant. Itaque populi, tam ejus, apud quem opes cum inopia mixtae sunt, quam ejus, apud quem omni splendore remoto nil nisi frugalitatem invenis, divitiae possunt aestimari numero *n*; id est, duae quantitates omnino diversae divitiarum, unum eundemque valorem habere possunt. Nonne igitur verum est, pretio solo cognito divitiarum, etiamsi id uno tantum spatio temporis et loci sit, nos non posse veram cognitionem habere divitiarum?

Praeterea, divitias populi sola pecunia aestimantibus negligi solent *divitiae naturales*. Unde, cum nomen civilium opum (*richesse sociale*) rationem habeamus, fit ut earum computatio manca sit. Quid dico? valor permutationis ne divitiarum civilium quidem certam nobis notionem et mensuram exhibere potest. Statuamus, caput quoddam, quod ex fabricationibus pannorum recipitur, quotannis summam 20,000,000 R^o efficere. Quae summa potest significare *n* mensuras panni, vel $\frac{n}{2}$, vel $\frac{n}{3}$ mensurarum ejusdem panni, vel amplius, vel minus, omnino prout minorem majoremve partem in hoc efficiendo vis naturae habuerat. Dicat aliquis, posse singularum quarumque mensurarum perquirendarum valorem cognosci; quo cognito posse etiam divitiarum universarum veram aestimationem inveniri. Ex. gr. valeat universus pannus 20,000,000 R^o, unaquaque mensura ejus 1000 R^o aestimata, numerus universarum mensurarum 20,000 constare reperietur; quem numerum si referamus ad civium numerum, possumus inde de prosperitate ipsorum plurima argumenta elicere. Quae omnia et vera sunt et perspicua. At quid haec ratiocinando quaerimus? Quid nisi numerum mensurarum, id est, magnitudinem utilitatis, non valoris. Hoc itaque ipsum argumento nobis est, valorem permutationis, per se, neglecta utilitate, non posse nobis veram notionem divitiarum exhibere, nam 1) eo solo ad-

hibito negligitur distributio divitiarum 2) potest unus idemque valor ad duas diversas rationes divitiarum referri, proinde atque utimur ad has efficiendas viribus naturae.

At ne si vera quidem esset haec doctrina relativi valoris *), potuisset adhiberi, aut ad certum aliquem finem nos adducere. Ejus enim ope nil quod apud economistas in quaestionem veniat, explicari potest. Statuamus nos aliquid conficiendum suscepturos esse; tum pauperioresue an ditiores inde evadamus, quaeramus. Ad quam quaestionem respondere non possumus, nisi comparatis duobus spatiis temporis. Deinde quaerentibus nobis quomodo distributae sint divitiae per quamdam regionem, comparanda sunt ejus inter se duo spatia, quorum in altero, quod sit in mediis provinciis Rossiae, mensura (четверть) frumenti aestimetur circa 1 Rbl. 25 Kop. et 2 Rbl. 50 Kop. (Anno 1831), altero autem, quod sit in septentrionalibus **), 25 Rbl. Quae discrepantia nos omnino statuere cogit, doctrinam relativi valoris nullam nobis cognitionem praebere, neque 1) de conditione divitiarum publicarum 2) neque de commodis et incommodis productionis 3) neque de earum utili aut

*) Valorem relativum tempore, loco et relatione definitum intelligo.

**) V. Българина Статистика II. 38.

noxia distributione; verbo notionem relativi valoris in oeconomia politica esse omnino inutilem.

Quo tempore doctrina *J. B. Sayi* tot variis et diversis refutationibus pertentabatur, eodem aliud principium, nempe utilitatis, in oeconomia politica magis magisque propagabatur. Id omnibus viribus commendabat *Lud. Sayus*. Is in opere jam a nobis laudato *) quid de hac re sentiret, exposuit; quorum quaedam proponam:

„Si quaerimus dicere quanti constaret res, cum effecta esset, possumus in hoc describendo usurpare vocabulum *coût effectif de production*, minime autem vocabulum *valeur*, nam id postremum nisi respectu divitiarum habito non admittitur. Si autem declarare velimus, quid concessio vel venditio alicujus rei nobis conferat, si exprimere velimus valorem venditionis vel concessionis (*valeur de vente* ou de concession), pretium in mercatu pecunia exhibitum (*prix courant*), possumus jam his modo memoratis vocabulis uti, minime vero vocabulo *valeur*, quo significatur singularis quaedam proprietas, qua res praeditae sunt. Is enim valor, qui concessione rerum efficitur, pariter et a rebus emendis et a rebus concedendis pendet; itaque cum sit tantum *la valeur vénale* mercium, nil est nisi valor in opinione hominum, semperque sequitur rationes

*) V. Considérations sur la législation et l'industrie par L. Say.

aliarum rerum. Postremo, si volumus vocabulum hoc *valeur* in oeconomia politica admittere, id nonnisi in utilitatis rerum significato usurpari potest: nam res divitias publicas efficientes nonnisi utilitate constant; utilitas vero, quae rebus inest, valorem constituit, (*valeur réelle et intrinsèque*) quem oeconomia politica sibi perquirendum proponit.“
Pag. 157 et sqq.

„Qui valor rerum venalis (*valeur vénale*), ait porro, vocatur, is est omnino falsa earum veri et interni valoris indicatio . . . Hic enim valor, internus vocatus (*valeur réelle et effective*), ratione utilitatis, non pretio plus minusve magno constat.“
Pag. 313.

„Cognoscere magnumne an parvum sit pretium nonnisi emptoribus et venditoribus expedit; populo autem expedit qualitas et quantitas rerum, id est populus dives est pro ratione utilitatis rebus contentae. Itaque aestimatio rerum secundum utilitatem instituta, non secundum pecuniam, haec sola est quaestio, quam solvendam sibi oeconomia politica proponit. Si *J. B. Sayus* perseveraret in principio suo, quo res tantum ratione utilitatis efficere divitias dicuntur, si ad hanc in rebus positam utilitatem discernendam exhiberet optima placita, si praeciperet quomodo eam vel maximam compararemus minimis sumptibus, denique optimam ra-

tionem distribuendae traderet, profecto doctrina ejus multo majores progressus caperet.“ P. 318 et sq.

Ita *Lud. Sayus*. Eodemque consilio p. 57, 153 et sq. Ad Smithium vituperat. Disquisitione de doctrina utilitatis ad subsequentes paginas remissa, nunc sequemur tractum historiae et convertemus nos ad virum vel maxime in republica litterarum operibus suis promeritum — prof. *Ravium* *) Hic exhibuit accuratissimam analysin valoris, ejusque plane novam doctrinam, cujus summa haec fere est;

Valor (Werth) latissimo sensu dictus, minora majorave commoda vocantur, quae homo aliquis tanquam possessor ex materialibus opibus percipit.

Quae commoda percipiuntur, vel quod possessor rerum utilitate earum fruitur (Möglichkeit der Güter), vel quod hae res pretio praeditae aliis permutatione concedi possunt (Preisfähigkeit **) .

Quae tamen notiones, *utilitas*, (sive *valor* sensu stricto) et *pretium*, re ipsa omnino diversae sunt. Quid autem inter has intersit, complures conabantur cognoscere, ut *Comes Soden* in opere suo *Nationalökonomie* IV., 22, *Hufeland* *Neue Grund-*

*) *Raw's* Lehrbuch der pol. Oekonomie. Heidelberg 1837, I. 56—72.

**) Eandem sententiam habebat *Storch*, v. *Cours compl. d'éc. pol.* Ed. de Petersb. I. 84.

legung der Staatswirthschaftskunst, I., 125. *Lotz*, Revision der Grundbegriffe, I., 53. *Ricardo* Princ. of pol. economy and taxation Cap. 1 et 20. *Torrens* Prod. of wealth, p. 7. *Ravius* ait, pretium esse quiddam, quod dicimus objectivum, rem universis regulis subditam, valorem autem esse quiddam quasi subjectivum, quod opinione hominum regitur *). Valorem referri ad res, quae in certo quodam statu maneat (im beharrenden Zustande), pretium autem ad res, quae permutationem patiantur. Pretium tum demum aliquid valet, cum valorem re aliqua perceptum nobis compertum facimus **).

Valor potest esse vel 1) *qualitatis* (Gattungswerth), si omnino facultas quaedam ei est, qua idoneus fit, qui necessitatibus nostris satisfaciatur. 2) *Quantitatis* (concreter oder Quantitätswerth) qui refertur ad certum numerum rerum. Potest itaque valor concretus rerum, quae ultra necessitates nostras nobis suppetunt, aequalis 0 fieri, nihilominus possunt illae valorem qualitatis habere. Idem valor concretus, quatenus necessitatibus nostris satisfacit, aequalis est valori qualitatis.

I. *Valor qualitatis* est 1) *objectivus* ***), proinde ac quibusdam necessitatibus et quodam modo

*) *Storch*, I, 62 et sqq.

**) *Raw*, I. c. p. 58.

***) *Inclytus* auctor hac denominatione quidem usus non est, qua tamen ejus definitionem bene et concinne exprimere mihi visus sum.

satisfacit. Hoc in sensu res subrogari rebus vel possunt, vel non possunt. Rerum subrogandarum valor comparatione cognoscitur; ex. gr. mensura tritici una est aequalis 1 ½ mens. secalis, 2 hordei, 3 avenae *) 2) *Subjectivus*, qui est vel α) *individualis*, ab uno quodam homine probatus, vel β) *specialis*, a tota quadam societate habitus, vel γ) *generalis* denique, ab universo populo existimatus. Ex. gr. ephemeridae in Britannia, obsonium quod chocolat vocatur in Italia etc.

II. *Valor quantitatis*. Potest esse vel respectu unius personae (*individualis*), ex. gr. 2da non mutata editio cujusdam operis non potest ullius esse valoris ei homini, qui possidet primam; vel respectu totius populi, (*nationalis*, *völkswirthschaftlich*), si hic tantam copiam salinarum, ligni vel alia possidet, ut pars harum rerum omni valore careat.

Quomodo autem magnitudinem divitiarum publicarum perpendamus? quamnam rationem inter pretium et valorem earundem divitiarum constituamus **)? In vetustissima conditione populorum, cum unaquaeque familia nonnisi neces-

*) Bloch's Resultate der Versuche über Erzeugung und Gewinnung des Düngers. 1823.

**) Rau p. 65.

sariarum rerum curam habebat, merx quacvis aestimabatur secundum *valorem concretum*. Quocirca is maximis divitiis pollere aestimabatur, penes quem erat maxima copia valoris concreti, ita quidem ut posset omnino ejus necessitatibus suppeditare. Postquam tempore procedente pecunia adhibebatur, alio modo, per eandem pecuniam dico, res aestimabatur. Aestimatio divitiarum privatarum id habet in se planum et aptum, quod pretio per pecuniam exhibito, ubique locorum una eademque ratione res aestimari possunt, deinde quod ob varia et arcta inter populos commercia omnia acquiri pecunia queunt. Cum autem quodcumque pretium mercis nonnisi comparatum cum valore aliarum rerum intelligi possit, eadem ratio adhibenda etiam est in pretio per pecuniam exhibito; nam aliter nec emptores quantum insumerent, nec venditores quantum remunerationem referrent, sibi expedire possent. Summa pecuniae, sive unius rei pretium exhibet, sive omnium opum cujusdam hominis, nullum per se ipsam valorem habet, nam semper ita usurpari solet, ut aliis ad commoda adipiscenda solvatur. Pretium enim nonnisi indicium est et rationi inservit, qua res comparari possint.

Ea ratio, qua pretium et *divitiae privatae* ad se invicem referantur; illud nisi indicium earum haberi non potest. Sin autem spectemus quae sequuntur, persuadebimus nobis, solo pretio, valore

omisso, nos nequaquam posse divitias metiri. Nam 1) plurimae res omnino pretio carent, quod fit cum illae redundare videntur, ut aqua, vel cum illae venire legibus impediuntur, ut Romae res sacrae et religiosas. 2) Fieri potest, ut pretium obtinens rerum non praebet possessori remunerationem, quantam sibi deberi putet, si comparatio earum repetita vel difficilis est, vel adeo fieri prorsus non potest. Ut sal, ligna, possunt vilissimo pretio venire, dum supersunt; consumtis autem non possumus arbitrio nostro ea quaecumque volumus efficere.

Omissa autem aestimatione privatarum divitiarum, si opes publicas aestimatas esse volumus, multo magis nobis persuadeamus id pretio nos non posse consequi. Nam 1) plurimae eaeque maxime necessariae res, quarum possessio vel amplificatio multum valere possit ad prosperitatem populi confirmandam, ut sal culinarium, farina, minimo fere sumtu comparantur, quam ob rem minore quam aliae non tam necessariae res pretio veniunt. Quod commodum, quo tam facile necessitatibus nostris satisfacimus, hoc sequitur, quod quaecumque quantitas mercium simili pretio venientium, diversam tamen potest apud populos significationem valoris habere. 2) Tales mutationes pretii usu veniunt, quibus, si tantum rationem huius pretii teneamus, in opiniones omnino erroneas abduccimur. Potest

eum certa quantitas mercium, quum haec minore sumtu fabricabuntur, minus pretium habere, ita ut divitiae publicae, eo metiendae, longe minores, quam quae erant antea, esse videantur; et vice versa, ex. gr. ubi calamitas frumentum carius reddiderit.

Itaque quo possimus accuratorem eamque uberiorem notionem divitiarum publicarum habere, debemus novum omnino indicem earum quaerere. Absque externa mercatura, quae non multum in civitate valet, videbimus oeconomiam nationalem posse in unaquaque civitate se ipsa contentam censi. In qua autem, ut jam de privatis demonstravimus, ratio praecipue valoris concreti habenda est, quo divitiae non nisi quantum ad prosperitatem populorum conferunt, aestimantur. Divitiae autem populi quantum valeant, nullo modo verius atque commodius perquirere possumus, nisi partibus earum singulis quibusque, secundum rationem quantitatis et vis, quam exerceant in felicitatem populi, aestimandis. Numero autem nudo non exhibetur indicium, quo divitiarum populi valorem indicare queamus. Quo huic mancae rationi rerum dinumerandarum medeamur, gradus quidam opulentiae, quem populus pro variis conditionibus suis ascendit, in auxilium vocandus est. At praeterea ne negligendum quidem est *pretium*, nam eo divitiarum partes discernere possumus, quas singuli quique homines

totaque societates habent, et cetera similia conjectando.

Nemo inficias ibit, disquisitiones viri quid sit pretium, quid intersit inter id et valorem, esse acutissimas, easque in quas apud alios non incidamus. Quod autem ad analysin illam valoris attinet, ea nobis quamvis sagacissima et subtilissima, tamen supervacanea esse videtur. Hic enim, ut in ceteris multis, nil apud hunc virum offendimus, praeter studium quoddam acerrimum, quo singulari diligentia notiones in minutissimas partes dividit, easque per scissas, ut ita dicam, earum fibras nobis demonstrare conatur. Id enim efficere solet, ut torquendo vel anatomico illo scalpello notiones secando, omnino rationem, qua vitam ejusque efficaces vires contemplerur, offuscet. Quod ut exemplo probemus, satis fuerit memorasse illud, quod Ravius ait de causis, a quibus major minorve efficacia laboris pendet, quarum ille internas (ut numerum operarum, assiduitatem, artem, partitionem laboris) et externas (quantitatem rerum venditarum, copiam pecuniae) discernit. Has causas ita nobis ostendit, ut essent constantes quaedam et per se ipsas agentes vires; quamquam rationem rerum vendendarum et summam pecuniae vim exercere in copiam productorum (*produits*) non per se ipsas, sed tantum prout principia partitionis laboris censantur, apparet. Quam ob rem si ita dicamus,

efficacitatem laboris pendere ab ejus partitione, partitionem autem a ratione, qua vendantur producta, hanc faciliore vel difficiliore commercio niti: profecto naturam ipsam rerum proxime sequemur exhibebimusque quasi efficaci quodam nexu seriem causarum, inter se conjunctarum, quo solo optime vitam, quid sit re vera, cognoscemus. Quemadmodum celeberrimus noster quoque Ad. Smithius, immerito jam neglectus, docere solebat. Si autem has causas in minutissimas partes scindamus, quo nexum naturalem non nisi evertimus, profecto habebimus varias species causarum: externas, internas et si ita multifariam res partiendo pergamus, plurimas alias: quid autem aliud inde eliciemus, quam omni vita carentium notionum molem immensam? Ut, si horologium in partes solvamus, ejusque omnia minima illa moventia instrumenta et articulos vel accuratissime definiamus, non autem ea sibi invicem aptare possimus, neque eorum conjunctionem et vim explicemus: nequaquam cuidam perspicuum faciemus, quid sit quod in hoc-ce horologio moveatur, quid quod id cessare vel praecurrere faciat. At fortasse longius quam par erat, evagati sumus a nostro proposito, quoniam contra valoris analysin, acutam illam quidem, sed quae nullam evidentem utilitatem praebet, aliquid afferre conamur. Omnia enim haec genera valoris — *individualis, specialis, generalis, nationalis*, etc. simul atque orta sunt, jam eva-

nescunt: quid (taque causae est, cur ea tanto studio propagare nitatur?

Id quod ex *Ravii* disquisitione consequitur, his fere brevissime continetur: divitias aestimari debere concreto illo valore, ubi tamen non neglegendum esse pretium. In quo autem liceat nobis haec monere: concretum valorem non posse nisi res, quae rarae obveniant, habere. Sylva in quibusdam partibus Americae, vastae illae Rossiae solitudines, non nisi valorem qualitatis prae se ferunt; res autem quae rarae sunt, valorem in permutatione habent. His in notionibus autem consentire nobis et *Ravius* et *J. B. Sayus* et sodales societatis anglicae videntur *). Porro *Ravius* divitias, ait, publicas quantum valeant non posse cognosci, nisi aestimatis earum variis partibus, secundum quantitatem et vim, quam exercent in civitatem. Cui sententiae simillimam fere *J. B. Sayus* protulit in Operis „*Epitome d'éc. politique*“ titulo *des richesses*: quo divitiae publicae aestimentur, il faut se contenter de savoir que la nation chez qui les produits à consommer sont le plus abondans par rapport à la population, et où les produits se distribuent le mieux en proportion de la part que chacun a prise à la production, est celle, où l'on est le mieux accomodé, où l'on jouit de plus d'aisance. Eau-

*) v. Dissert. hujus p. 46.

dem doctrinam probaverunt *Ad. Smithius* *), *L. Sayus* **), *Ricardo* ***) et omnes oeconomiae politicae auctores. Quo posito miremur, cur tot controversiae de valore et divitiis, tot doctos viros tam diu cruciaverint. Causam invenire mihi videor, quod in doctrina de valore expedienda nondum recta via et ratione docti viri progressi sint. Ea autem per se ipsa, etiamsi tot ambagibus implicita erat, ita et simplex et omnino plana est, ut auctores scientiae nostrae diversa quidem ratione ad eundem finem non potuerint non convenire †).

*) According, therefore, as this produce or what is purchased with it, bears a greater or smaller proportion to the number of those who are to consume it, the nation will be better or worse supplied with all the necessaries and conveniences, for which it has occasion. *Wealth of Nations*. Philad., 1789 p. 11.

**) Nous pouvons donc conclure, de toutes ces expressions, qu'Adam Smith pense avec raison que la richesse d'une nation est d'autant plus grande ou petite, que son revenu annuel en choses propres à satisfaire les divers besoins ou désirs des individus qui la composent, est plus grand ou plus petit, ou, en d'autres termes, que c'est la masse de ces mêmes choses, qui forme sa véritable richesse. *Consid. sur l'ind. etc.* p. 25.

***) A man is rich or poor, according to the abundance of necessaries and luxuries, which he can command etc. *On the prinç. of pol. ec.* Lond. 1817 p. 381.

†) Les économistes sont loin d'être d'accord sur la définition de la richesse: souvent même celui qui avait débüté par une définition, ne lui est pas demeuré toujours fidèle dans le cours de son ouvrage. C'est que le bon sens recule devant

Inquirentes autem in doctrinam ill. *Ravii* ratione ea quam modo secuti sumus, temperare nobis non possumus, quia dicamus, cum et ceteros plerumque illam altioribus ac remotioribus quam par erat initiis repetisse, eamque dum deducere conatur, obruit viam nebulis subtilitatum, quibus non nisi difficilior redditur progressus.

Postremo loco exponemus sententiam prof. nunc Parisiis florentis *Rossii*, qui singulari quadam perspicuitate, quid sit valor, explicare studet*). Homo, inquit, discernit res quae idoneae vel non idoneae sunt ad satisfaciendum necessitatibus suis. Res idoneae sunt vel iucundae, vel utiles. Aestimatio ejusdem rei, cum a necessitate ejus possidendae pendeat, originem dat *valoris*. *Valoris* autem duo genera sunt: alterum in fructibus, alterum in permutandis rebus. Utrique communis proprietates haec est, quod ab una eademque causa utrumque oritur, nempe a facultate, qua necessitatibus nostris satisfaciat. Distinguit autem valorem in permutatione, qui nititur in varia hominum inter

les conséquences extrêmes des principes arbitraires, qu'on s'est empressé de poser dès le début. Cela explique aussi comment en partant de définitions, de principes si divers, la plupart des économistes sont cependant arrivés aux mêmes résultats sur un grand nombre de questions. Rossi in Rev. mens. d'éc. pol.

*) *Revue mensuelle d'éc. politique*, par Th. Fitz. Avril, Juillet et Août, 1834.

se conjunctione, cum valor in rebus fructibus positus omnino hac conditione careat. Non autem est valor in usu proprietates quaedam in rebus innata, constans. Soleis ferro instructis ad currendum in glacie non opus est in Sicilia, ipse panis, necessitate expleta, supervacaneus esse videtur. Unde consequitur 1) ex duabus similibus rebus, vel duabus partibus unius ejusdemque rei, altera potest valorem in usu habere, altera autem illo carere, proinde atque id temporibus postulatur. 2) Valor in usu earum rerum, quae naturalibus necessitatibus satisfaciunt, mutationem minus patitur, quam earum, quae ad delicias pertinent. 3) Ex varietate valorum in usu oritur inter homines permutationis desiderium.

Valor in permutatione conditionem habet valorem in usu, non vice versa. Valor permutationis vel *hypotheticus* (hypothétique) est, id est valor rerum permutandarum adhuc incertus, qui ex rationibus mutationis impendentibus dijudicatur, vel *effectivus* (effectif), cum permutatio re vera fiat, valor igitur jam certus est. Res quas nostro usui accomodamus hoc valore carent. Quam ob causam res vel permutabiles sunt, vel non permutabiles. Unde consequitur, valorem in permutatione vel in usu non esse necessarias proprietates rerum, sed semper a consilio pendere, ad quod eas adhibemus.

Divitiarum habent fundamentalem conditionem certam quandam rationem, quae est inter res et

nostram naturalem indolem. Valor in usu indicium est hujus conditionis — res igitur eo praeditae sunt divitiae. Hoc itaque modo doctrinam politicae oeconomicae ad ejus verum fontem dirigimus, qui est homo, ejus existentia et felicitas. Ii autem, qui divitias *quantitate, forma, valore in permutatione* metiuntur, vehementer errant.

1) *Quantitas*. Scilicet divitiae in rerum ubertate positae sunt; ut aqua fluminis sedato alveo profluentis non est amplius aqua, quia eadem aestuat immenso mari. Ob hanc rem discrimen, quod *Lauderdale* inter privatas et publicas divitias ponit, quarum alteras raritate, alteras ubertate definit, omnino supervacaneum est.

2) *Forma*. Hic discernuntur res *materiales* et *immateriales*. Hanc ob rem lectiones professoris dum ore prolatae sint, non sunt divitiae, cum autem typis expressae, sunt divitiae. At si res materia discernendae sunt, certe silex habebit plus divitiarum quam serica, serica autem plus quam gazus (gaze).

3) *Valor permutationis* a) *effectivus* profecto indicium esse non potest divitiarum, quia hac conditione divitiae essent proprietates quaedam, ejus mutationes infinitae essent. Quod hodie valorem habet, id cras non habebit. b) *Probabilis* idem est ac valor in usu, utilitas, respectu habito ad permutationem quae evadere possit.

III.

Ex hac historica disquisitione patet, rationem quae inter valorem et divitias est, maximas difficultates doctis viris in doctrina valoris exponenda, praebuisse.

Valoris, secundum probatissimos quosque scriptores, duo sunt genera. Reliquum jam est, ut ostendamus, quid sint divitiae et quomodo notioni utilitatis aut pretii accomodentur. Haec est summa nostrae quaestionis, qua soluta demum perquiramus, sitne in oeconomia politica, cujus argumentum divitiae publicae sunt, valor (indicium divitiarum) vel *utilitas*, vel *pretium* existimandus *). Quae sequitur disquisitio de valore non est vana controversia de vocabulis, quam aliquis vocet, sed de re ipsa: qua oeconomica quaestione soluta verbo morabimur.

Priusquam autem perquiramus rationem valoris ad divitias publicas, dicendum erit, *quid sint ipsae divitiae?* Ut divitias, quonam constant, intelligamus, ponemus res quasdam, quae partes earum

*) Si l'on veut employer le mot *valeur* en écon. pol. il ne peut être pris que dans le sens de degré d'utilité etc. *Consid. sur l'ind.* etc. p. 158. Je ne saurais admettre ce que vous (Ricardo) appelez avec Ad. Smith *value in use*: qu'est ce que de la valeur en utilité, si ce n'est de l'utilité pure et simple? Le mot utilité suffit donc. *Cours Compl.* Brux. 1836, p. 601.

habentur, vel non habentur, persequemurque in iis hanc proprietatem, ob quam divitiae vocantur. Quae res sint lana, panis, aër, quae sunt nobis maxime necessariae eaeque, quibus omnino carentes vivere non possumus. Nemo negabit has necessarias esse, attamen harum lana et panis omnibus divitiae habebuntur, aër autem non ita. Unde fit, ut omnes res, quae plerumque divitiae sunt, etiam utilitatem habeant, non autem omnes, quae utiles sunt, in divitiis haberi possint. Si pergemus in eadem ratione disputandi, quaerendum nobis erit, cur rerum utilium quaedam divitiae vocentur, quaedam autem hoc nomine non insigniantur. Cui quaestioni quomodo respondeas, non est cur moreris; evidentissimum enim est, lanam, panem, certa quadam quantitate circumscribi, idoneasque esse, quae plures vel minores fiant, et hanc ob rem semper eae sunt, quas dignas putemus, quae nobis vindicentur, vel quae valorem habeant; aliae autem res nullo simili indicio designari possunt. Itaque divitiae sunt omnes res, quae utilitatem habent, quaeque dum sint raras, pretio destitutae non sunt; vel *divitiae sunt quaecunque valorem in permutatione habent*. Nam illi utilitas conditio necessaria est.

Fortasse aliquis nobis objiciat, hanc modo prolatam sententiam de divitiis admodum, ut ita di-

cam, arctam et exilem nil esse nisi empiricam, id est quae nitatur opinionibus praxi exhibitis, quum scientia correctiores et latiores notiones requirat. Rō tamen ita pensitata liquere, et res quae valores in utilitate et in permutatione habeant, et eas quibus prior horum valorum contigerit, nostris necessitatibus omnino satisfacere, ideoque ob hanc proprietatem divitias vocari posse. In qua sententia aër, aqua et omnino omnes res quae utilitatem praebent, divitias constituunt; nam his nostris necessitatibus satisfieri potest. Quibus haec nos contra. Divitiarum duo genera sunt — *naturale* et *artificiosum*, proinde atque effectae sunt natura sola aut ope hominum. Divitiae quas naturales dico, concessae nobis a natura tanta copia, distributae tam paribus et justis portionibus sunt, ut necesse non sit, scientiam in his explicandis divitias haerere. Sane fieri potest, ut aër et aqua aliquando inter res ad oeconomiam politicam pertinentes numerentur, nempe aqua in magnis urbibus, ubi pecunia in cadis divenditur, vel aquaeductibus invehitur, aër autem in carceribus, nosocomiis, ubi variis machinis purgatur. At ubi hoc accidit, hae res desinunt naturales esse, mutanturque in artificiales, ideoque eas leges, quas ceterae productae res, de quibus oeconomia politica disputat, subeunt; unde consequitur, divitias naturales non

pertinere ad scientiam, nisi arte mutatae sint, idque eo ducit, ut consentiamus, divitias, de quibus oeconomia politica disserit, esse tantum artificiales, id est pretio praeditas. Quo itaque divitias non empirico qui vocatur modo, sed scientifico et rationali designemus, iterum dicendum erit id, quod prius jam a nobis acceptum est, divitias esse quicumque ob utilitatem valorem habeat; quo in sensu res etiam, quae divitiae non sunt, possunt fieri, ut aër, aqua et vice versa.

His argumentis nisi, jure cum J. B. Sayo dicere possumus, *oeconomiam politicam esse doctrinam de valore solius permutationis*, deinde *valorem hunc necessariam conditionem esse divitiarum*. In hac re consentiunt ejus adversarii. Societas enim politico-oeconomica, Londini condita, cujus etiam Ricardo et Malthus sodales vocabantur, in concilio suo posuit consensu omnium eandem definitionem divitiarum. Nam Tooke in litteris ad *J. B. Sayum* missis, „Dans quelques unes de nos dernières réunions de la Société d'éc. pol.“ inquit, „la définition suivante des richesses a reçu l'assentiment d'une partie considérable de ses membres, et l'on est convenu de l'adopter, comme exprimant la signification la plus générale de ce mot: *Objets calculés pour l'usage ou la jouissance et existant en*

quantité limitée.“ *) At res, quae certa quadam quantitate definiuntur, pretio praeditae esse debent. Hic etiam recordari liceat, *Rossium* in sua disquisitione eo pervenisse, ut diceret, divitias esse res, quae effectivum valorem permutationis et utilitatem habeant. Item *Ravius* eadem perhibet cum divitias esse res censet, ad proprietatem pertinentes (*Vermögen*), id est quae pretium et utilitatem habeant. Non est tamen infitiandum, *Malthum* aliter divitias definire: „The *material objects*, necessary, useful or agreeable to man, which have required some portion of human exertion to appropriate or produce.“ **) Hic quamquam statuit, tantum res, valore praeditas, efficere divitias (nam cum vires humanae in rebus acquirendis vel efficiendis adhibeantur, necessario modo inde pretium evadet); tamen praeterea affirmat, materiales res solas tali pretio praeditas, esse divitias. Unde patet, ejus definitione nostram non refutari, sed tantum restringi. Quo autem cognoscamus, quatenus haec sit restrictio, observanda nobis est ipsa natura divitiarum: haec autem pretio, quod nititur utilitate,

*) *Mél. et corresp. d'éc. pol.* Par. 1833.

**) *Malthus* *Defin. in pol. ec.* Lond. 1827, p. 231. *Rau* *Lehrbuch*, I. 47: Nur sachliche Güter sind Bestandtheile des Volkvermögens.

1) Fingamus in quadam regione extitisse ingentem copiam segetis, vel propter improvidam computationem opificum quorundam plus quam necesse erat textilium bombycinorum confectum fuisse. His rebus ita se habentibus pretium frumenti aut texturae necessario minui debet. Si utilitatis vindicatores sequamur, hac utilitate aucta (frumentum et bomyx utilitatem effectivam habere quis negabit), divitias publicas amplificari debere credendum est. Cui omnino contrarium re vera invenimus, nam regionem illam pauperiorem factam esse videmus. Pretio enim vili effecto agricultura impeditur; impedita autem agricultura damna etiam in aliis generibus industriae hominum consequantur, necesse est. Scimus enim, unam ex maximis causis, cur leges frumentariae in Britannia adeo oppugnentur, esse quod iis interdum nimium frumenti efficiatur, quo ipso fit, ut pretio saepissime subito mutato, ingenti damno agricultura afficiatur. *) Itaque contendere licet, ampliorem utilitatem interdum, pretio diminuto, noxiam esse posse divitiis.

2) Si divitiae et prosperitas populi sequerentur majorem usque utilitatem rerum, necesse esset, di-

*) V. *McCulloch* Dictionary of commerce, Art. Corn Laws; *Edimb. Review*, Oct. 1824, Sept. 1826. — *Suppl. of Encycl. britannica*. Art. Corn Laws.

vitiae populi *A*, qui efficeret textilium bombycinorum modum *n*, et frumenti *m*, pares sint divitiis populi *B*, qui efficiat eandem copiam earundem rerum; re vera autem prorsus contrarium inveniemus. Apud populum enim *A* texturae et frumentum possunt in ditionem venire dominorum, qui operas alunt ad ea colenda (*Unternehmer*), ut in operas ipsos nil fere lucri redundet. Apud populum *B* omnis summa productorum, aequo jure distributorum, omnino diversam de divitiis ferre sententiam cogere potest. Apud alterum populum erit lux una cum inopia, apud alterum universis id quod satis est. Quod nihil aliud est, nisi omnino varia conditio divitiarum, quae tamen uno eodemque modo utilitatis manifestantur. Ut nobis persuadeamus, quam divitiae quae singulis quibusque obtingant, diversae esse possint, hic afferimus tabulam reddituum, quam *Balbi*, sequutus numeros, quod ad Galliam in *Ephemeridis Courrier des Electeurs*, et quod ad Angliam in opere *Statistical Illustrations* fixos, exhibuit: *)

*) *Revue de deux mondes*, Janv. 1830. *Morogues* Du paupérisme et de la mendicité. Par. 1834.

1. Francogallia.

Classes.	Num. hominum.	Sing. quibusq.
1.	152,000	4000 fr.
2.	150,000	1000
3.	150,000	600
4.	400,000	400
5.	400,000	350
6.	1,000,000	300
7.	2,000,000	250
8.	2,000,000	200
9.	3,000,000	150
10.	7,000,000	120
11.	7,000,000	100
12.	7,000,000	91,84
<hr/> Summa 32,000,000		Num. med. 198

2. Anglia.

Classes.	Num. hominum.	Sing. quibusq.
1.	165	500,000 fr.
2.	250	375,000
3.	500	250,000
4.	1,000	150,000
5.	2,500	120,000
6.	5,000	75,000
7.	10,000	57,500
8.	15,000	25,000
9.	25,000	20,000
10.	28,000	17,500
11.	33,000	15,000
12.	40,000	12,500
13.	50,000	10,000
14.	66,000	7,500
15.	100,000	5,000
16.	111,000	4,500
17.	125,000	4,000
18.	142,000	3,500
19.	166,000	3,000
20.	200,000	2,500
21.	250,000	2,000
22.	333,000	1,500
23.	500,000	1,000
24.	1,000,000	500
25.	1,500,000	350
26.	2,000,000	250
27.	3,000,000	165
28.	5,000,000	125
<hr/> 14,706,000		822,08

Omniino confitendum est, principium utilitatis omnem oeconomiam politicam mutare in illam Chrematisticam ab Aristotele *) vocatam, in scientiam technicam, quae nil respicit, nisi ut quam plurimum efficiatur, non autem in illam politicam, quae veram prosperitatem spectat. Ratio, qua acquiramus, nonnisi pars est oeconomiae politicae, quae solis chrysiologicis ita dictis deductionibus non contenta est, sed longius disquisitiones suas promovet **), idque agit, ut ostendat quomodo divitiae exhibitae commodissime per totum regnum spargantur.

3) Denique principium utilitatis negligit omnino gravissimam partem industriae, quae valorem permutationis spectat, id est exteram mercaturam. Hic autem nobis perinde est, multumne an parum efficiamus, sed id est magni momenti, cariorisne an vilioris pretii nostrae merces sint. Haec pars industriae in plerisque regnis magnum ascendit perfectionis gradum. Quae omnia nobis persuadent, doctrinam quae ejus exceptionem admittit, nonnisi mancam et imperfectam vocari posse. Videmus enim, summam pecuniae in Anglia, Franco-

gallia et America in extera mercatura insumtae esse: *)

Francogallia.

In agricultura,	4,678,000,000
In Fabricis,	1,213,000,000
In Invectis,	438,000,000

Britania.

In agricultura,	3,420,000,000
In Fabricis,	2,378,000,000
In Invectis,	788,000,000

Resp. Septent. Americae.

In agricultura,	1,608,000,000
In Fabricis,	604,000,000
In Invectis,	388,000,000

Ut *Pablo Pebrer* **) perhibet, omnem reditum totius Britanniae efficere 514,822,039 l. st., in qua summa extera mercatura efficit 51,598,039 l. st.

Si accuratius investigemus rationem refutationum, quae contra principium utilitatis allatae erant, invenimus eas fere non discrepare a refutationibus contra principium valoris in permutatione allatis. 1) Secundum principium valoris in permutatione inter modos divitiarum diversissimos discrimen nullum intercedit, si eodem pretio constant.

*) *Aristoteles* De Politica. Lib. I Cap. 3—4.
 **) V. plurima scripta de hac re in Rev. mens. d'éc. pol., praecipue a *Sismondio* composita.

*) *Revue encyclopédique*, XXV, 339. 549. 878.
 **) *Histoire financière etc. de l'empire britannique*. 1834. II, 90.

Secundum principium utilitatis diversissimi modi divitiarum unae eademque divitiae habeantur oportet, dum parae utilitatis sint; quamquam in exteris commerciis divitiae pretii rationem sequuntur.

2) Nec hoc nec illud principium sufficit nobis ad gravissima oeconomiae politicae momenta explicanda: creationem et distributionem divitiarum.

Quae *L. Sayus* contra theoriam valoris in permutatione positi clamitat, omnino sunt manca, nam induxerunt illum, ut concluderet, majus vel minus pretium esse non nisi emptoribus et venditoribus aliquid grave; populum autem, quatenus utilitas admittat, divitem esse. Et alio loco: „non nisi utilitatem rei verum valorem efficere, quatenus is referatur ad divitias populi; quam utilitatem debere imprimis oeconomia politica tractare.“ *) Scilicet nuper in Russia caritate annonae exorta nil referebat, panem bis vel quater cariorem esse? Quae si qua scientia docet, profecto digna est, quam despiciant ac pro nihilo habeant indocti. Minusne hic naturae rerum locus denegatur, quam apud *J. B. Sayum*? Qui cum pretium mercium, machinis inventis, vilissimum factum est, id auctum esse asserit, et contendit omni sagacitate et pertinacia, quibus confidebat, ut principium suum tueretur.

Itaque principium et valoris et utilitatis man-

cum est, nec alterutrum sufficere potest. Qui haec tuebantur non satis rationem habebant naturae et societatis, ideoque incurrerunt in erroneas doctrinas. Nunc, si quaeramus quid e nostra disquisitione ortum sit, cogimur fateri, tantum invenisse, quid verum non sit. Nobis igitur id superest, ut, iudicio divitiarum invento investigemus, quonam modo cognosci possit nos eas comparasse, minuisse vel auxisse?

Iudicium divitiarum quid sit jam antea docuimus — est enim pretium; pretii autem conditio utilitas. Potestne autem inde deduci, ut dicamus, quanto majus sit pretium, tanto majores esse divitias? Investigatio variarum rationum, quibus pretium et utilitas vim exercent in populi divitias, praec oculis nobis posuit, nos non posse quidquam quod nulla ex parte refutari possit, statuere. Nec pretium utilitate omnino neglecta, nec utilitas pretio omnino neglecto, valet ad varias rationes publicarum divitiarum explicandas. Observandum est, quales pretium mutationes admittat, utilitate amplificata, et vice versa quales mutationes in utilitate evadant pretio majore facto. Ne plura, utramque rationem pretii et utilitatis debemus invicem ad sese referendo probare. Ex. gr. si propter uberrimam messem utilitas augeatur, simul autem factum sit, ut pretium repente minus fiat, apparebit divitias non solum ampliores non

*) *L. Sayus* l. c. p. 158.

factas fuisse, sed multo minores; vel si pretium augeatur, utilitate tamen non amplificata, divitias ne minime quidem majores factas esse, liquebit. Divitiae non nisi tum augeri possunt, cum utilitate amplificata, propter faciliorem rationem rerum efficiendarum pretium minuatur, vel cum pretio totius summae productorum aucto ipsa haec summa augetur.

Itaque si scire quaerimus, quam *dives* sit quaedam regio, diversa elementa computationis vocanda sunt in auxilium, non unum singulare quoddam principium valoris. Qui alterutrum defendebant, errabant quod nimis parti alteri hujus argumenti studebant, nec, dum in subtilitatibus suis haerebant, multum curabant cognoscere rationes sociales. Cum deducerent conjecturales aliquas conclusiones ex firmis nec refellendis argumentis, omnibus viribus contra evidentissima factorum documenta mordicus in his conclusionibus contenderunt. Quibusdam divitias valorem in permutatione esse persuasum erat, scilicet quanto major sit valor in permutatione, tanto majores esse divitias. Quidam alii divitias quaerebant in utilitate, eodemque modo ad similia de utilitate statuenda ducebantur. Verum tamen quamquam pretium et utilitatem necessarias esse proprietates divitiarum, negari non potest, non est censendum, quanto major sit alterutra, necessario etiam divitias majores fieri. Scilicet, quum libri

cujusque haec sit species, ut habeat paginas, iisque impressas litteras, possit aliquis censere, librum tanto esse meliorem utilioreque homini, quanto plures paginas et litteras complectatur. Re vera autem, si quantae sint divitiae posito quodam, *concreto casu*, cognoscere velimus, plures sunt examinandae rationes rerum; divitiae autem *in abstracto* sunt omnia quae pretio et utilitate praeditae sunt.

Quibus dictis haec argumenta videntur ex nostra investigatione per se ipsa profluere:

I. Divitiae, quatenus in oeconomiam politicam cadunt, vocantur haec omnia, quae pretium et utilitatem habent. Unde sequitur, aquam, aërem, terram, silvam eatenus esse vel non esse divitias, quatenus his duabus proprietatibus praeditae sunt.

II. Oeconomia politica est doctrina de divitiis, quod argumento est, eam minime esse, ut quidam perhibebant, doctrinam de utilitate; potest autem dici scientia valoris in permutatione positi, nam hic semper utilitatem conditionem habet. Itaque non falsus est *J. B. Sayus*, cum talia praedicat.

III. Vocabulum valoris in oeconomia politica non utilitatem solam significat, quod *Lud. Sayus*, *Ravius* et alii asserebant, nec pretium, ut *J. B. Sayus* et *Ricardo* sibi persuadebant. Alteri censent, divitias esse utilitatem, quod si esset, et si inter valorem et divitias nihil interesset, valorem utilitati parem esse colligeremus. Alteri autem omnino

contraria docebant. Verum enimvero jam ostendimus, divitias non posse solis utilitate et pretio apte indicari. Quamquam non est infitiandum, utilitatem semper causam esse, pretium autem divitiarum effectum: nihilominus illae necessariae sunt proprietates et utrumque magni est in oeconomia politica tractare. Censemus itaque, auctore *Ad. Smithio*, valoris esse duo genera, in usu et in permutatione, sed propter breviter et perspicuitatem commendamus iis qui oeconomiam politicam tractant, pro valore in permutatione pretium, pro valore autem in utilitate prorsus utilitatem dicere.

IV. Divitias aestimare est summam rerum pretio et utilitate praedictarum indicare, ubique earum distributionis ratione habita.

V. Divitias augere est vel utilitatem eique respondens pretium augere; vel utilitatem augere, pretio genuino (*natürlicher Preis*) diminuto, eaque omnia optime dispertire. Hanc ob rem merces textoriae, machinis novis inventis, viliori pretio venditae, inserviunt divitiis augendis. Hanc rem ita se habere consentiunt et Sayus uterque et Ricardo et Ravins et alii. Dissensiones autem et discrepantiae non in re ipsa sitae, sed quoniam eam ad suam quisque doctrinam conformare studebat, a viris in diversissima discedentibus, procreatae sunt.

